

**X X X I I.** Per actionem autem illam h̄ic intelligimus non tām externam, quā non nisi per occasionem oblatam, quām internam, quā homini perpetuō adesse potest, quā & conditio est Summi Boni.

**X X X I I I.** Differentia S.B. triplex constituitur, i. quod sit actio animæ rationalis: Quia enim Summum hominis Bonum præstantissimum quoddam est; Igitur actio propria non in corpore corporisve functionibus quārenda est; sed in anima.

**X X X I V.** Animæ autem humanæ felicitates, ut Aristot. cap. ult. lib. I. Eth. N. distingvit, duæ sunt; una ἀληγόρ rationis expers; altera λογική rationalis. Ἀληγόρ iterum duplex est, θρηπτική quæ communiter alias vegetans appellari solet; altera αἰδητική sentiens. Utriusq; facultas à natura S.B. est aliena, propterea quod homo eas communes habet cum plantis, & cum reliquis animalibus. Merito itaq; in solius rationalis facultatis, quæ homini propria est, actione felicitas collocatur.

**X X X V.** Rationalis hæc facultas, quæ ab Arist. dicitur μεγός λόγον ἔχον duplex est, partim enim κυρίως & propriè rationalis, vel quia in sese ratione prædita est, vel quia ex natura sua eam habet; partim verò naturâ suâ rationis quidem expers est, eam tamen recipere audiendo, vel obediendo potest; Et alias etiam vocatur facultas appetitiva, quæ principium & sedes est perturbationum sive affectuum.

**X X X VI.** Utroq; modo felicitas convenit rationali facultati. Et quatenus ex sese ratione prædita est, & quatenus ejusdem præscripta sequitur. Appetens enim facultas, quando rectæ rationis jussa audit, iisdemque sese submittit, rationem participare dicitur, atq; sic affectus animi ita conformantur, ut virtuti sint consentanei.

**X X X V I I.** Circa hanc duplicem animæ actionem  
B. notan-